clamabant. Multa autem sustinuit in illo loco vir sanctus, et regrediendo in cellam suam in tantam penuriam venit, quod nisi bubalum obviam habuisset, cui se supposuit et papillas ejus suxit, penitus defecisset.

Si ergo sancti magistri haec gentilium opera et loca viderunt, non inquietandum mihi vel alteri hujusmodi visitatio. Praefatus casus Macarii habetur in Antonini Chronic. P. II. Tit. 15. C. 6. §. 1.

Ab antiquo fuit Cyprus proprium regnum, in quo regnaverunt antiquissimi Pygmalion, Paphus, Cinera et Adonis maritus Veneris, et caeteri, usque ad tempora Alexandri M., qui eam insulam regno Graecorum copulavit, et non regnum, sed partem regni esse voluit, eamque insulam quasi regis sedem constituit, unde ex ipsa cum exercitu profectus totum orientem obtinuit, sicut dicitur 1. Maccab. I. Egressus de terra Cethim, id est de Cypro, provenit usque ad fines terrae, usque in Indiam, et demum rediens ad mare Caspium sive Hircanum, Judaeos decem tribuum, quos Salmanasser captivaverat, arctius montibus Caspiis inclusit, ut patet supra fol. 97 A. De qua Judaeorum reclusione loquitur Magister in Schola historica et alii historiographi. Sed nonnulli mirantur, an aliquid veritatis in re sit? Ad hoc dicit Antonius in Chronico P. II. Tit. 19. C. 8., quod duo fratres ordinis nostri missi propter fidei causas in orientem manserunt in provincia Georgiae in civitate Triphelis, quae prope montes Caspios est, septem annis, et diligentem inquisitionem de hoc fecerunt (b) a Georgicis et Persis et Hircanis, et etiam ab ipsis Judaeis, qui omnes dicunt, quod in eorum historiis nihil penitus de hoc reperiatur, sed tantum hoc habeatur, quod Alexander in partes illas veniens reperit ibi bestiales homines, inhumaniter viventes, qui homines comedebant et se invicem devorabant; hos de planis et habitabilibus locis expulit et intra montana habitare coëgit et ibi portas exstrui fecit, quae portae Alexandri hodie nuncupantur. Tandem autem Alexander subjecto oriente cum infinita spoliorum copia in Cyprum reversus est eamque affluentem divitiis et deliciis fecit. Stante ergo Graecorum regno Cyprus per praefectos regebatur. Demum Romani monarchia adepta subregulos ibi constituerunt, de quibus unus fuit Costus, pater Sanctae Catharinae virginis, quam in illa insula natam esse historiae tradunt, sed



© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;